



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

Parisiis, 1644

Epistola CIV. Leonis Papae I. Ad Vniuersos Episcopos Per Siciliam Constitvtos. Vniuersis episcopis per Siciliam constitutis scribit, & constitutione perpetua ab episcoporum vsurpatione resecandum ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-14584

quæ error hæreticus excitauerat, cooperatione vestra gaudeat adiuuari. Excluso enim qui imitator diaboli fuit, & in veritate non stetit, male vtens specie persuasi honoris & nominis, congruit vt Alexandrina ecclesia eum veneretur & diligat, quem & probitate morum, & integritate catholicæ fidei, dignum tanto sacerdotio comprobauit: cui mutua caritatis plenum animi nostri præbeamus affectum, cohortantes, fratres carissimi, & fiducia-liter exigentes, vt in prædicatione verbi, in eruditione præcepti illam formam custodiatis caritatis, sine qua nullæ possunt prodesse virtutes. Quod autem fratri & coepiscopo nostro Timotheo de reuocandis his, qui a veritatis itinere deuiantes, inconsultius se ferociusque gesserunt, scriptum esse cognoscitis, dilectio quoque vestra ad curam suam intelligat pertinere: vt quia late sese pestilens illa ægritudo diffudit, vbique omnibus eadem adhibeatur medicina vulneribus, vt per diligentiam pastorem in cunctis ecclesiis Domini ouile reparetur, & per sollicitudinem caritatis atque doctrinæ, omnes Christi oues vnum sentiant habere pastorem. Data xv. Kalendas Septembris, Magno & Apollonio consulibus.

EPISTOLA CIV.

LEONIS PAPÆ I.

AD VNIVERSOS EPISCOPOS PER SICILIAM
CONSTITVTOS.

Vniuersis episcopis per Siciliam constitutis scribit, & constitutione perpetua ab episcoporum vsurpatione rescandum decernit, quod in duabus Sicilia ecclesiis improbe gestum, iniusteque per episcopos ibidem præsumptum est, in ecclesiarum suarum bonis illicite alienandis. Quare & Decretum hic perpetuum interponit, de rebus ecclesiæ non alienandis, pœnasque aduersus contrauentores decernit.

Leo papa vniuersis episcopis per Siciliam constitutis in Domino salutem.

OCCASIO * specialium querelarum curam nobis pro-
uidentia generalis indicit, vt quod in duabus pro-
al. spiri-
tualium

uinciarū vestrarū ecclesiis improbe gestum, iniusteque præsumptum est, id constitutione perpetua ab * omni episcoporum usurpatione rescemus. * Taurominitanis enim clericis, ecclesiæ deplorantibus nuditatem, eo quod omnia eius prædia, vendendo, donando, & diuersis modis alienando, episcopus dissiparet; etiam Panormitani clerici, quibus nuper est ordinatus antistes, similem querimoniarum, in sancta Synodo, cui * præesse debebamus, de usurpatione prioris episcopi causam detulerunt. Quamuis ergo ordinatum a nobis sit, quemadmodum vtriusque ecclesiæ vtilitatibus consulatur; ne tamen hoc perniciosum nequissimæ deprædationis exemplum cuiquam posthac fiat imitabile, hanc præcepti nostri formam apud dilectionem vestram volumus esse perpetuam: qua, sine exceptione decernimus, vt ne quis episcopus de ecclesiæ suæ rebus audeat quidquam vel donare, vel commutare, vel vendere; nisi forte ita aliquid horum faciat, vt meliora prospiciat, & cum totius cleri tractatu, atque consensu id eligat, quod non sit dubium ecclesiæ profuturum. Nam presbyteri, vel diaconi, aut cuiuscumque ordinis clerici, qui coniuentiam in ecclesiæ damna miscuerint, sciant se & ordine & communionem priuandos: quia plenū iustitiæ est, fratres carissimi, vt non solum episcopi, sed etiam totius cleri studio, ecclesiasticæ vtilitatis incrementa feruentur, & eorum munera illibata permaneant, quæ pro animarum suarum salute, fideles de propria substantia ecclesiis contulerunt. Data xi. Kalendas Nouembris, * Calypio viro clarissimo consule.

* al. omnium
* al. Taurominitanis

* al. cui præsidemus,

* al. Calypio,
al. Alypio

pirium